tormento interrogemus eum: ut sciamus re
verentiam illius. & probemus pacienciam
eius. Morte turpissima condempnemus
eum: erit enim respectus ex sermonibus illius
Hec cogitaverunt & erraverunt: excecavit
enim eos malicia eorum. Et nescierunt sacra
menta dei. neque speraverunt mercedem iusti
cie. nec iudicaverunt honorem animarum sanctarum

Gr. Ego autem dum mihi mo lesti essent
induebam me cili cio
et humilia bam in ieiunio
animam meam et ora
tio mea in sinu meo
convertetur. Iudica domine
nocentes me expugna
impugnan tes me. apprehende ar

✠
ma & scu tum et ex
surge in adiutorium
mi chi.

Passio domini nostri ihesu christi secundum marcum.

In illo tempore: Erat pascha & azima post biduum:
& querebant summi sacerdotes & scribe quo
modo ihesum dolo tenerent & occiderent. Dice
bant autem: Non in die festo. Ne forte tu
multus fieret populi. Et cum esset ihesus be
thanie in domo symonis leprosi & recumberet.
Venit mulier habens alabastrum unguenti
nardi spicati preciosi. Et fracto alabastro
effudit super caput eius. Erant autem quidam
indigne ferentes intra semetipsos & dicen
tes. Ut quid perdicio ista unguenti facta est.
Poterat enim unguentum istud vendari plus
quam trecentis denariis: et dari pauperibus.
Et fremebant in eam. Ihesus autem dixit. Sinite
eam. Quid illi molesti estis? Bonum opus
operata est in me. Semper enim pauperes habetis
vobiscum: & cum volueritis potestis illis bene
facere: me autem non semper habebitis. Quod ha
buit hoc fecit: prevenit ungere corpus meum
in sepulturam. Amen dico vobis. ubicumque
predicatum fuerit ewangelium istud in universo
mundo. & quod hec fecit narrabitur in memo
riam eius. Et iudas scarioches unus de duo
decim abiit ad summos sacerdotes: ut proderet eum

illis. Qui audientes gavisi sunt: et
promiserunt ei pecuniam se daturos. Et
quaerebat quomodo eum opportune traderet.
Et primo die azimorum quando pascha immo
labant: dicunt ei discipuli. Quo vis ea
mus et paremus tibi ut manduces pascha? Et
mittit duos ex discipulis suis et dicit eis:
Ite in civitatem: et occurret vobis homo
lagenam aque baiulans. Sequimini eum
et quocumque introierit dicite domino domus
quia magister dicit: Ubi est refectio mea
ubi pascha cum discipulis meis manducem?
Et ipse vobis demonstrabit ce
naculum grande stratum: et illic parate no
bis. Et abierunt discipuli eius. et venerunt
in civitatem: et invenerunt sicut dixerat illis
et paraverunt pascha. Vespere autem facto venit
cum duodecim: et discumbentibus eis et man
ducantibus ait Ihesus. Amen dico vobis quia
unus ex vobis me tradet qui manducat
mecum. At illi ceperunt contristari et dicere
ei singillatim. Numquid ego? Qui ait
illis. Unus ex duodecim qui intingit
mecum manum in catino. Et filius quidem
hominis vadit sicut scriptum est de eo.
Ve autem homini illi per quem filius hominis
tradetur. Bonum erat ei si natus non
esset homo ille. Et manducantibus illis
accepit Ihesus panem et benedicens fregit et de
dit eis. et ait. Sumite: hoc est corpus
meum. Et accepto calice gratias agens
dedit eis. et biberunt ex eo omnes. Et ait
Hic est sanguis meus novi testamenti qui

pro multis effundetur. Amen dico vobis
quia iam non bibam de genimine vitis usque
in diem illum cum illud bibam novum in regno
dei. Et ympno dicto: exierunt in montem
olivarum. Et ait eis Ihesus. Omnes scanda
lizabimini in me in ista nocte. quia scriptum
est. Percutiam pastorem et dispergentur oves
Sed postquam resurrexero: precedam vos in
Galileam. Petrus autem ait ei. Et si omnes
scandalizati fuerint: sed non ego. Et ait illi
Ihesus. Amen dico tibi quia tu hodie in nocte
hac priusquam bis gallus vocem dederit ter me
es negaturus. At ille amplius loquebatur.
Et si oportuerit me simul commori tecum
non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant.
Et veniunt in predium cui nomen Gethsemani.
Et ait discipulis suis. Sedete hic donec
orem. Et assumit Petrum et Iacobum et Iohannem
secum. et cepit pavere et tedere. Et ait illis.
Tristis est anima mea usque ad mortem. Sus
tinete hic et vigilate. Et cum processisset pau
lulum procidit super terram. et orabat: ut si fie
ri posset transiret ab eo hora. Et dixit.
Abba pater omnia possibilia tibi sunt. transfer
calicem hunc a me. sed non quod ego volo: sed quod
tu. Et venit et invenit eos dor
mientes. Et ait Petro. Symon dormis?
non potuisti una hora vigilare mecum.
Vigilate et orate ut non intretis in temp
tationem. Spiritus quidem promptus est caro autem
infirma. Et iterum abiens oravit eundem
sermonem dicens. Et reversus denuo invenit
eos dormientes. Erant enim oculi eorum gravati

dixit ego sum, abierunt retrorsum et cecide-
runt in terram. Iterum ergo eos interrogavit. Que-
ritis? Illi autem dixerunt ihesum nazarenum.
Respondit ihesus. Dixi vobis quia ego sum. Si ergo
me queritis, sinite hos abire. Ut impleretur
sermo quem dixit, quia quos dedisti michi, non perdidi
ex eis quemquam. Symon ergo petrus habens gla-
dium eduxit eum et percussit pontificis servum et
abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem
nomen servo malchus. Dixit ergo ihesus petro.
Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem de-
dit michi pater non vis ut bibam illum. Cohors ergo
et tribunus et ministri iudeorum comprehenderunt
ihesum et ligaverunt eum et duxerunt eum ad annam
primum. Erat enim socer cayphe, qui erat
pontifex anni illius. Erat autem cayphas qui
consilium dederat iudeis, quia expedit unum
hominem mori pro populo. Sequebatur autem
ihesum symon petrus et alius discipulus. Disci-
pulus autem ille erat notus pontifici et introi-
vit cum ihesu in atrium pontificis. Petrus autem
stabat ad hostium foris. Exivit ergo discipulus
alius qui erat notus pontifici et dixit
hostiarie et introduxit petrum. Dicit ergo
petro ancilla hostiaria. Numquid et tu ex
discipulis es hominis istius? Dicit ille
Non sum. Stabant autem servi et ministri
ad prunas quia frigus erat et calefacie-
bant se. Erat autem cum eis et petrus stans et
calefaciens se. Pontifex autem interrogavit
ihesum de discipulis suis et de doctrina eius.
Respondit ei ihesus. Ego palam locutus sum
mundo. Ego semper docui in synagoga et in tem-

plo quo omnes iudei conveniunt, et in occulto
locutus sum nichil. Quid me interrogas?
Interroga eos qui audierunt quid locutus
sum ipsis. Ecce hii sciunt que dixerim ego.
Hec autem cum dixisset, unus assistens
ministrorum dedit alapam ihesu dicens. Sic
respondes pontifici? Respondit ei ihesus. Si male
locutus sum testimonium perhibe de malo.
Si autem bene, quid me cedis? Et misit eum
annas ligatum ad caypham pontificem.
Erat autem symon petrus stans et calefaciens
se. Dixerunt ergo ei. Numquid et tu ex discipulis
eius es? Negavit ille et dixit. Non sum.
Dicit unus ex servis pontificis cogna-
tus eius cuius abscidit petrus auriculam.
Nonne ego te vidi in orto cum illo? Iterum
ergo negavit petrus, et statim gallus canta-
vit. Adducunt ergo ihesum ad caypham in
pretorium. Erat autem mane. Et ipsi non introi-
erunt in pretorium ut non contaminarentur,
sed manducarent pascha. Exivit ergo pylatus
ad eos foras et dixit. Quam accusationem
affertis adversus hominem hunc? Responderunt
et dixerunt ei. Si non esset hic malefactor,
non tradidissemus tibi eum. Dixit ergo eis py-
latus. Accipite eum vos et secundum legem vestram
iudicate eum. Dixerunt ergo ei iudei. Nobis
non licet interficere quemquam, ut sermo domini
impleretur quem dixit significans qua
morte esset moriturus. Introivit ergo iterum in
pretorium pylatus et vocavit ihesum et dixit ei.
Tu es rex iudeorum? Respondit ihesus. A temetipso
hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? Respondit

pylatus. Numquid ego iudeus sum? Gens
tua et pontifices tradiderunt te mihi. Quid
fecisti? Respondit ihesus. Regnum meum non est de
hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum
meum ministri mei utique decertarent ut
non traderer iudeis. Nunc autem regnum meum
non est hinc. Dixit itaque ei pylatus. Ergo
rex es tu? Respondit ei ihesus. Tu dicis: quia
rex sum ego. Ego in hoc natus sum: et ad
hoc veni in mundum ut testimonium perhi
beam veritati. Omnis qui est ex veritate:
audit vocem meam. Dicit ei pylatus. Quid
est veritas? Et cum hoc dixisset iterum exi
vit ad iudeos: et dicit eis. Ego nullam inve
nio in eo causam. Est autem consuetudo
vobis ut unum dimittam vobis in pascha.
Vultis ergo dimittam vobis regem iudeorum?
Clamaverunt rursum omnes dicentes. Non hunc
sed barraban. Erat autem barrabas latro.
Tunc ergo apprehendit pylatus ihesum et flagel
lavit. Et milites plectentes coronam de
spinis: imposuerunt capiti eius. Et veste
purpurea circumdederunt eum: et veniebant
ad eum et dicebant. Ave rex iudeorum: et da
bant ei alapas. Exivit iterum pylatus foras
et dicit eis. Ecce adduco eum vobis foras:
ut cognoscatis quia in eo nullam causam invenio.
Exivit ergo ihesus portans coronam spineam et
purpureum vestimentum. Et dicit eis. Ecce
homo. Cum ergo vidissent eum pontifices et
ministri: clamabant dicentes. Crucifige
crucifige eum. Dicit eis pylatus. Accipite
eum vos et crucifigite. Ego enim in eo non inve

nio in eo causam. Responderunt ei iudei. Nos
legem habemus: et secundum legem debet mori. quia
filium dei se fecit. Cum ergo audisset pylatus
hunc sermonem: magis timuit. Et ingressus est
pretorium iterum: et dicit ad ihesum. Unde es tu?
Ihesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei py
latus. Michi non loqueris. Nescis quia
potestatem habeo crucifigere te: et potestatem habeo
dimittere te. Respondit ihesus. Non haberes potestatem
adversum me ullam: nisi tibi datum esset
desuper. Propterea qui me tradidit tibi maius
peccatum habet. Et exinde querebat pylatus dimit
tere eum. Iudei autem clamabant dicentes.
Si hunc dimittis non es amicus cesaris.
Omnis qui se regem facit: contradicit cesari.
Pylatus ergo cum audisset hos sermones
adduxit foras ihesum: et sedit pro tribunali
in loco qui dicitur lithostratos: hebraice autem
gabatha. Erat autem parasceve pasche hora
quasi sexta. Et dicit iudeis. Ecce rex vester.
Illi autem clamabant. Tolle tolle crucifige
eum. Dicit eis pylatus. Regem vestrum crucifi
gam? Responderunt pontifices. Non habemus regem
nisi cesarem. Tunc ergo tradidit eis illum ut
crucifigeretur. Susceperunt autem ihesum: et eduxe
runt. Et baiulans sibi crucem exivit in eum qui
dicitur calvarie locum: hebraice golgatha ubi
eum crucifixerunt. Et cum eo alios duos hinc
et hinc: medium autem ihesum. Scripsit autem et titu
lum pylatus et posuit super crucem. Erat autem
scriptum: ihesus nazarenus rex iudeorum. Hunc
ergo titulum multi legerunt iudeorum: quia prope
civitatem erat locus ubi crucifixus est ihesus.